

45. *Vnitas hæc ipsum quoque Baptismi usum respicit : ut quemadmodum Baptismus unus est: ita quoque semel ille usurpatus, repeti aut bis, tervé conferrî minimè debeat : si vel maximè ab heretico, vel quovis impio ministro ipse fuerit, secundum tamen institutionem Christi, collatus.*

46. *Quam ob causam Pontificios verum habere & conferre baptismum credimus, licet multis traditiunculis & ceremonijs humanis turpiter conspurcatum.*

47. *Diversum verò statuitur, quando Ecclesia aliqua tota in hæresin fundamentum fidei evertentem prolapsa fuerit : ut si contingeret, Ecclesiam quandam totam Arianismo infectam Baptismum conferre. Talem enim baptismum pius nemo approbare posset, collatum quippe ab ea Ecclesia, quæ divinitatem Filij & Spiritus sancti negat : ac proinde contra institutionem Christi, in solo nomine Patris, administratum.*

48. *Enorme igitur facinus quorundam est Jesuitarum, qui diabolico prorsus odio adversus Ecclesias Lutheranas, flagrantes, à nostris baptizatos, annis superioribus in Belgio & alibi rebaptizare haud fuerunt veriti: lepido hoc usi prætextu : Quòd apud Schismaticos sint quidem Sacramenta : sed tamen non sanctificant.*

Probi-